

Si recta rem via reputamus, nullus ordo est industria p. o-  
positus & dignitati, in quo non videamus multos esse non  
idoneos, sed ex eo dignitatem ordinis contemptam & abje-  
ctam esse non oportet.

Paulo post quam in ordinem Magistrorum venit  
frater, ego quoque Academicis sacris initiandus Rostochium  
profectus sum comitante patre & perducente, qui tum in-  
genti desiderio visenda urbis, quam sedem ac magistrum  
studiorum suorum habuerat, tenebatur, simul ut fratrem  
meum secum in patriam reduceret, & presentis conspectus  
& colloquio frueretur. In qua dum moratur frater, non in  
otium se collocavit, sed concionibus sacris operam dedit, &  
aliquoties è suggesto ad populum non sine laude verba fecit:  
non ignorabat enim, quantam exercitationem res flagita-  
ret, & quam maturè incipiendum esset ei, qui in hoc gene-  
re aliquo pervenire cuperet. Caterum mea etas, quæ in-  
solens vita Academica & ignara morum custodis adhuc  
& presidis indigebat, Rostochium eum retraxit. Praesi-  
scine hoc dixerim, nihil in ejus contubernio nisi honestum  
vidi. Industria vero & diligentia mihi exemplum fuit  
ejusmodi, ut ab usq. mane ad vesperam saepe impransus stu-  
dijs suis incumberet, & qui eum à cena legendi impetus ce-  
perat, eum in multam noctem continuaret, & saepe oculos  
vigilia fatigatos cadentesq. in opere detineret. Cum sa-  
tis diu hasisse Rostochij sibi visus esset, & non in omni agro  
omnem arborem inveniri sciret, cepit eum cupiditas in ali-  
am Academiam studia sua transferendi. Ea tempesta-  
te in ore & sermone omnium erat laudatissimum optimi  
Principis Ludovici Landgravij Hassia &c. institutum; qui  
paucis ante annis fundatam Giesse Academiam omni-  
bus

bus